

Pembroke 25 Sermon 3 (fols. 7v–9r)

.iii. IN .ii^a. DOMINICA . ANTE NATALE DOMINI :~

[.i.] ILLud scire et in corde frequenter meditari . et animo uoluntarie recordari debemus fratres karissimi . quod iam prope est dies aduentus domini nostri iesu christi in mundum secundum carnem . quem cum gaudio magno caelebrare debemus . Et ideo rogo et amoneo ut in quantum possumus cum dei adiutorio laboremus . et cum pura conscientia et mundo corde castoque corpore ; In illo die ad altare dei studeamus accedere . ut corpus et sanguinem christi non ad iudicium . sed ad remedium anime nostre mereamur accipere ; quia in illo die nullus christianus . a corpore et sanguine christi . se elongare debet . [.ii.] In christi enim corpore uita nostra consistit . sicut ipse dominus dixit . Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem . non habebitis uitam in uobis . Mundet ergo uitam . qui uult accipere uitam. Ad contemptum accipiet uitam . et plus ex ipsa corrumpetur quam sanetur . magis occidetur . quam uiuificetur . Sicut apostolus dicit . Qui manducat corpus domini et bibit sanguinem eius indigne . iudicium sibi manducat et bibit . Licet ergo nos fratres karissimi . omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conueniat ; Precipue tamen in die natalis domini splendet /8r/descere debemus . et lucere debent hominibus opera nostra bona ; [.iii.] consideremus ergo fratres quando aliquis homo potens natalicium suum aut filii sui caelebrare desiderat . quanto

studio ante plures dies domum suam mundare et ornare
 studeat ; Et quicquid sordi`d`um uiderit proici . et quod utile
 et necessarium sit præcipit exhiberi¹ . Domus etiam si obscu-
 -ra fuerit dealbatur . pauimenta scopis mundantur . et diuer-
 sis respersa floribus adornantur . quicquid etiam ad laetitiam
 animi et ad dilicias corporis pertinet . omni sollicitudine
 prouidetur. Qua causa haec aguntur fratres . nisi ut dies na-
 talicius cum gaudio caelebretur . Ó homo si tanta praeparas
 in natalicio tuo uel filii tui . quanta et qualia præparare
 debes in natalem domini tui? [.iiii.] Et si talia præparas mori-
 turo . qualia præparare debes aeterno? Quicquid ergo non uis
 inuenire in domo tua . quantum potes labora . ut non in-
 ueniat deus in anima tua . Considera igitur . si te rex ter-
 renus uel quicumque paterfamilias ad natalicium suum uel
 filii sui inuitaret . qualibus uestimentis studéres ornatus
 incedere . quam nouis ac spléndidis . ne uetústas eorum uel
 foeditas oculos inuitantis offenderet ; Quanto magis
 tali studio in quantum praéuales christo auxiliante con-
 tende . ut diuersis uirtutum ornamentis anima tua composita .
 simplicitatis gemmis et sobrietatis floribus adornata . ad
 solemnitatem regis aeterni saluatoris mundi cum segura con-
 scientia procedas . castitate nítidus . caritate splendidus .
 elemosinis emundátus . [.v.] Christus enim dominus sí té ita compositum
 caelebrare natalicium suum cognouerit . non solum animam
 tuam per sé uisitabit . sed etiam in ea requiescens in perpetuum
 /8v/ in illa dignabitur habitare sicut scriptum est . Inhabitabo
 in illis . et inter eos ambulabo . Et iterum . Ecce stó ad ianuam

pulsans . si quis surrexerit aperire mihi intrabo ad illum .
 et cenabo cum illo et ille mecum . Ó quam felix est illa anima
 quę uitam suam deo auxiliante ita studuerit gebernare . ut christum
 habitorem in se mereatur accipere . sicut e contra . quam mfe-
 lix² est illa anima . quę se ita malis operibus sordidauit . et super
 bia se destruxit . ut non in ea christus requiescere dignatur .
 sed diabolus cito dominatur . talis igitur anima si medicamentum
 poenitentię non cito subuenerit . a luce relinquetur . a te-
 nebris occupabitur . [.vi.] Uacuabitur dulcedine . replebitur
 amaritudine . a morte inuadetur . et a uita repvdiabitur³ . Non
 tamen de domini pietate difidat qui talis est nec nimia desperatio
 eum frangat . sed ad poenitentiam cito recurrat . et dum adhuc
 noua sunt uulnera peccatorum . sic adhibeat sibi medicamenta
 salubria . quia medicus noster omnipotens est . et sic consueuit plagas
 nostras curare . ut nec cicatricum faciat uestigia remanere .
 Et ideo fratres karissimi sicut omni tempore ab adulteris concubinis ab-
 stinere debeat . Ita a propriis uxoribus multis diebus ante nati-
 uitate domini uos continere debetis . et quotiescumque natalem domini
 uel reliquias solemnitates caelebrare disponitis . aebrietatem
 ante omnia fugiatis . Iracundię et malitię . quasi bestiis crudelis-
 simis repugnetis . [.vii.] Odium quasi uenenum mortiferum de
 corde uestro repellatis . et tanta in uobis sit caritas . ut non solum
 amicos sed etiam inimicos propter deum diligatis . ut securi pos-
 sitis dicere in oratione dominica . Dimitte nobis debita
 nostra . sicut et nos dimittimus debitoribus nostris . Quia nescio
 quomodo possit ad altare dei securus acce`de`re . qui etiam
 /9r/ unum hominem odio habuerit in corde . Unde beatus iohannes

aeuangelista terribiliter dicit . Qui fratrem suum odit homicida est . Iam ergo uestrum est iudicare . utrum homicida debeat accedere ad accipiendum eucharistiam . antequam agat poenitentiam . quia idem iohannes dicit . qui fratrem suum odit in tenebris est . et in tenebris ambulat et nescit quo uadit . quia tenebrae obcaecauerunt oculos eius . Et iterum . Qui fratrem suum non diligit . manet in morte . Et si quis dixerit quod deum diligit et fratrem suum odit hic mendax est . quia enim non diligit fratrem suum quem uidet . deum quem non uidet . quomodo potest diligere? Haec ergo fratres assidue cogitate . ut qui boni sunt cum dei gratia perseuerent in operibus bonis quia non qui cooperit . sed qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit . Et qui se ad elemosinam esse tardos . et ad iracundiam promptos . et ad exercendam luxuriam precipites esse cognoscunt . deo adiuuante festinent se a malis actibus eruere . ut quae bona sunt mereantur implere . Et cum dies iudicii uenerit non cum impiis et peccatoribus puniantur . sed cum iustis et immaculatis et misericordibus . peruenire ad premia in caelestia regna mereantur . Prestante domino nostro iesu christo . cui est honor et imperium et gloria in saecula seculorum . Amen .

¹ exhiberi] *corr. from* &hiberi.

² mfelix] *sic pro* infelix

³ repudiabitur] *corr. from* repidiabitur